



# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS  
Tel.: 734 55 42.

## LUDI LATINI AUGUSTIANI

quam mirifici fuerint 8. 14 Ma.

Ii qui Ludis Latinis Augustanis non interfuerunt sibi fingere non possunt quanta magnificentia celebrati sint. Tanta erat materialium copia, ut saepe complurum eodem tempore agerentur. Mira erat rerum varietas; ludi vedeabantur latinitatis nundinae, quo sua quisque cuiuscumque generis afferebat, demonstrabat ceterorumque iudicio committebat. Eximia fuit qualitas plororumque spectaculorum. *Plurimum*

Per multa de ludis narranda essent, nisi exigua pagina complenda tantum superesset hoc in numero. Quare per pauca referemus; cetera invenientur in amplioribus commentariis qui divulgabuntur in Voce Latina et fortasse in Vita Latina.

Ubique terrarum sollemnia initialia solent esse plus minus fastidiosa. Hic tamen Valahfridus Stroh rem tam bene excoxitaverat ordinaveratque ut fieret spectaculum delectabile. Necessariis enim magistratum optimatumque orationibus interserebantur faceti ludi scaenici. Omnia orationes erant Latinae. Etiam Franciscus Iosephus Strauss, Bavariae praeses, litteras Latinas misit, quas palam legi iussit. Una tamen oratio, a burgimagistro maiore Hans Breuer habita, non fuit Latina. Fortasse ut suae ignorantiae linguae Latinae poenas daret, Valahfridus Stroh eum rogaverat ut ludum scaenicum ipse participaret. Sic factum est ut burgimagister in scaena sederet pallio laneo circumdatu et partes Iohannis Vindelici in ludo scaenico de Augustae origine ageret.

Valahfridus Stroh etiam consecutus est ut ex remotissimis regionibus advenirent legati Latini. Vix necessarium est Albinum Dobsevage nominare, moderatorem Hermae Americani, qui ex America in Europam fre-



AMOR ipse in bellissimum Valahfridi Stroh filiolum incarnatus erat.

quentia itinera facit ad res Latinas participandas. Magis mirandum est Kamuzu Bamba, praesidem perpetuum rei publicae Malawensis, in media Africa ad lacum Nyassa sitae, qui Kamuzu Academiam condidit, ubi discipuli modo collegiorum Britannicorum docentur et omnibus in sectionibus Latine discunt, nonnullos discipulos cum magistro misisse, qui ludos iucundissime participaverunt. Summa tamen admiratione affecti sumus cum vidimus Arituneum Mitzuno, philologiae classicae professorem in studiorum universitate Kiotensi, qui ex Iaponia primum iter in Europam fecerat ad ludos Latinos participandos. Qui vir, Musarum amantis simus, iam ante quindecim annos Latine poetari coepit. Non tantum nonnulla ex suis carminibus dixit, inter quae carmen ad bimillenium Augustae dedicatum, sed longam maximique momenti acroasin de Iaponia habuit.

## "TAURINUM" ET "IUVENTUS" ACRITER CERTANT INTER SE .

Hodie est Dominica extraordinaria : magna pars Taurinensis relinquit domum et cetera negotia et affluit ad Stadium : duae enim turmae eiusdem urbis certabunt inter se maxima alacritate (Derby vocant).

Cum arbiter emittit sibilum initii, omnes gradus amplissimi Stadii sunt iam referti typhosis, qui emitunt dissonum boatum, agitantes vexilla et sonantes corniculas.

Per primum quartum horae, lusores procedunt velocissimi (sunt enim omnes vegeti viribus) et follis vel radit terram vel volat, propulsus modo ad unam aream portariam, modo ad alteram.

At ecce, fere transacta media hora lusus acris et prementis, ala sinistra Iuventina captat follem quem ei perite direxit medianus, evitat duos defensores Taurinianos, offert follem eleganti ictu tali accuranti medialae dexteræ, quæ rapido ac vehementi ictu proicit follem in angulum portæ, dum ianitor, et si citatissime insiliens, non valet nisi eum praestringere summis digitis.

Tonitus ingens reboat per Stadium, dum auctor retis, currens hoc illuc velut amens et pluries iactans per aerem brachia, vicissim ab uno et ab altero lusore Iuventino cingitur brachiis et fervide basiatur, quasi peregrisset gestum heroicum.

Lusus iterum inchoatur, et dum Iuventini nituntur praesertim defendere portam et tantummodo raro irrumunt in aream hostium velocibus incursionibus, athletæ Taurinarii pergunt rabida alacriter premere indefatigati contra rete adversariorum, trahentes secum etiam proprios defensores, ita ut saepe dimidium Stadium maneat desertum et unicus conspiciatur, deambulans placide inter palos portæ, ianitor Taurinarius. At integer globus Iuventinus intentissime vigilat, et rumpit quamlibet actionem adversariorum qui, licet crescenti impetu conentur, astutis traiectibus, apparare occasionem idoneam reti, semper, velut undae maris quæ franguntur contra scopulos, frenantur et assida tenacia repelluntur retro.

Et ecce sibilus arbitri : prius tempus certaminis est transactum ; athletæ relinquunt Stadium et Iuventini cursu, Tauriniani contra tardis passibus, recedunt in spoliarium.

Initium secundi temporis. Refecti intervallo, athletæ incipiunt lusum velocem, conantes Tauriniani assequi paritatem, Iuventini autem, et si non intermittentes cautam et ferream vigilantiam suæ portæ, patrati ad fruendam quamlibet occasionem ut augeant numerum retium.

At improviso, medius aggressor Taurinianus, potitus folle, vélox ingreditur in aream rigoris et callida simulatione se expedit a mediano sinistro Iuventino, qui conatus erat eum cohibere, sed in ipso momento quo se apparat ad prociendum follem in rete, ab accurate tertiano Iuventino deicitur humili apertissima supplantatione. Sibilat arbiter : calx rigoris !

Super totum Stadium cadit repente ingens silentium, et dum athletæ se glomerant taciti extra aream rigoris, Taurinianus "rigorista" (ita appellatur athleta qui excellit peritia proiciendi follem in rete adversariorum) deponit follem in circulo, circumscripto

lineola alba, inde retrocedit lente aliquot passibus, postea velocitate crescenti irruit in follem et, simulata declinatione corporis in partem sinistram, eum impingit ictu vehementi in angulum dextrum : goal ! Unum contra unum !

Extollitur a typhosis Taurinianis immanis boatus, dum incipiunt agitari phrenetice vexilla et explodi capsulae pyricæ.

Ergo certamen redit ad paritatem ! Dum autem in cavea Stadii tumultus pergit infrenabilis, athletæ redintegrand festinanter lusum, incitati novo impetu et alacritate Tauriniani, impulsi acriore fervore Iuventini.

At dum follis transit velociter ab uno ad alterum lusorem et dum premitur et obsidetur modo una modo altera porta, intentissima vigilantia defensorum impedit quominus follis possit proici in rete.

Et iam propinquat finis secundi temporis, cum follis impingitur incaute a lusore Tauriniano ultra lineam extremam Stadii, ideoque decernitur calx anguli pro Iuventinisi.

Volat follis, apte impulsus ab ala sinistra, et inclinatur in proximitate portæ, ubi densantur athletæ utriusque turmae ; inter ceteros, agili saltu emergit medianus Iuventinus, qui vehementi et callido ictu capitis percutit follem eumque impingit "imprensabilem" in superiore angulum dextrum portæ : goal ! Hac vice, totum Stadium explodere videtur : clamant insanientes laetitia typhosi Iuventini, se invicem complectentes et quassantes sua vexilla et vexillula, dum contra una pars typhosorum Tauriniorum rumpit in execrationes et blasphemias, altera vero, quasi percussa fulmine, assidit muta in gradibus, velut si eos perculisset extrema calamitas.

Et ecce, post pauca minuta, sibilus finis.

Omnes athletæ repente consistunt, inde contendunt ad spoliarium, dum interea typhosi Iuventini, gestientes infrenabili gaudio, invadunt pacifice Stadium atque turmatim iactant ad aerem vexilla et elatis vocibus celebrant victoriam turmae cordis.

Guido ANGELINO.

### LUDI LATINI AUGUSTANI (sequitur)

Conditorum Iani Novak et Valahfridi Stroh sententia, Ludis Latinis lingua Latina cum arte musica artissime coniungantur oportet. Quod mirum in modum Augustae factum est. Cottidie Georgius Leonhard carmina Latina quæ Ianus Novak modis musicis instruxit cantu communi docebat. Vespere factae sunt acroseis musicæ, quarum una in memoriam Iani Novak. Culmen ludorum fuit Horatii Carmen Saeculare, lyricis concentibus a F.A.Philidoro (1726-1795) restitutum, quod Musici Symphoniaci Monacenses et chorus Gymnasii Pestalozziani Monacensis cecinerunt Veneris die vespere in maximo recentissimoque odeo Augustae. Cuius operis, per duo saecula inauditi, Valahfridus Strot ipse eiusque alumni per urbem tantum paeconium fecerunt, ut odeum mille locorum refertum esset.

Gaius LICOPPE

# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES

## CHRISTIANUS HELFER

MELISSA vobis interrogavit Professorem Christianum HELFER, qui certe de Latinitate Viva optime meritus est.

Ubi et quando natus es ?

Anno 1930 natus sum Plaviae Variscorum ; quae urbs Saxonica nunc in Democratica Republica Germanica sita est.

Quo in gymnasio fuisti discipulus ? Qualia secundaria studia perfecisti ? Didicistine tunc temporis linguam Latinam ?

Discipulus fui gymnasii Plaviensis, ubi prima linguae Latinae rudimenta posui. Ceterum eiusdem gymnasii magister exeunte saeculo proximo praeterito erat Eduardus Johnson, qui sub nomine "Capellani" lepidum libellum cui titulus est "Loquerisne Latine ?" edidit in lucem.

In qua studiorum universitate studia tua perrexiisti ? Qualia studia fuerunt ?

In Universitate Erlangensi primum studiis philologiae classicae, quae vocatur, me dederam. Cum vero seminaria linguae Graecae cognoscendae -secundum proverbium quod est : Aurora habet aurum in ore- multo mane incoharentur, malui vestigiis patris ingredi et studiis iurisprudentiae incumbere. Quibus studiis finitis anno 1953o Bonnae doctor utriusque iuris creatus sum.

Quomodo factum est ut postea Brugas petivisses, ubi per unum vel duos annos in Collegio Europaeo remansisti ?

Annis 1957/58 Brugae in Belgio una cum 35 commilitonibus ex variis Europae civitatibus oriundis "Collegii Europae" sodalis fui, ubi problematis politicis, iuridicis, sociologicis Europae coniunctae studiimus cognoscendis.

Hocne in collegio primum percepisti linguam Latinam etiam nostris temporibus in Europa esse maximi momenti ? Erantne in hoc collegio professores, qui huius rei sibi consciis essent ?

Brugae cum de linguis officialibus Europae futurae disputationabatur, Henricus Brugmans rector suasit, ut lingua Latina adhiberetur ad communicationem administrativam. Quam cogitationem forte incidentem mihi valde placuisse memini, quamquam omnibus eadem videbatur ad effectum adduci non posse.

Qualis postea fuit tuus cursus munerum ? Quando vocatus es ad cathedram Saravipontanam "Cultuum civilum Europaeorum comparandorum" ?

Studiis academicis in Germania Foederata et in Canada peractis anno 1962o in Universitate Gottingensi assistens academicus factus sum. Ibi anno 1966o habilitationem, quae vocatur, adeptus artem sociologicam per-

aliquot annos privatim docui. Anno 1970 ad Universitatem Saraviensem vocatus sum, ut professoris munus in Ordine Philosophorum susciperem.

Talis cathedra videtur esse unica in Europa. Possitne fieri ut nobis adumbres quando, a quibus et quo in animo haec cathedra condita sit ?

In Saraviensi studiorum universitate post bellum finitum a Francogallis condit cathedram inveni institutam, quae olim disciplinae Gallicae cui nomen "Civilisation Européenne" destinata erat. Quae disciplina in Germanicis studiorum universitatibus extra Saraviam non repetitur.

Cur statuisti Latinitatem curare in cathedra tua, id quod, nisi fallor, non faciebant decessores tui ?

Quia Europaeorum cultus civilis per saecula positus erat in fide Christiana et Latinitate mihi persuasum erat studia neolatina cum finibus cathedralae meae bene congruere.

Quando et quomodo primum aliquid audivisti de Caelesti Eichenseer ?

Anno 1975o legi de seminariis Latinitatis vivae, quae in actis diurnis Francofordiensibus laudabantur.

Quando Patrem Caelestem primum convenisti, interfuisse tunc temporis cuidam seminario ?

Anno 1976o primum seminario Latinitatis vivae interfui, quod Tutzingae in Bavaria habitum est Patre Caelesti Eichenseer moderante.

Cur Patrem Caelestem rogasti ut operibus cathedralae tuae Saravipontanae cooperaretur ?

Operae pretium mihi videbatur studiis neolatinis favere.

Quando et quibuscum statuisti commentarios Latinos Monaci editos, quibus titulus "VOX LATINA", Saravipontum in universitatem tuam transferre ?

Anno 1976o commentarios q.t. "Vox Latina" ~~scripsit~~ Saravipontum transferri proposui, ut sub auspiciis Universitatis Saraviensis augescerent et alerentur. Ex eo tempore numerus subnotatorum a quadringentis ad mille quingentos lectores auctus est.

Quando, quibuscum et quo in animo statuisti SOCIETATEM LATINAM condere ?

Societas Latina anno 1978o a nonnullis Latinitatis fautoribus condita est ut commentarii q.t. "Vox Latina" sedem editoriam haberent.

Tu, qui LEXICON AUXILIARE Theodisco-Latinum confecisti et anno 1982o primum edidisti, cuius editio valde aucta mox divulgabitur, amasne opera lexicographica? Incohavistine iam ante multum temporis indagationes tuas lexicographicas ?

(sequitur p. 4)

# R E S U N I U S D I E I .

Haec est pulchra historia quae male desinit! Rem vero ab origine repetamus : Tempus fuit (anno MCMXXXIII exeunte) quo usque ad nos Palenses commentarioli "M.A.S." editores epistula pervenit a quodam professore Fodiis in Italia meridionali docente ; qui se discipulos ad Latinitatem vivam adsuefacere cupere scribebat et rogabat exemplar commentarioli nostri (Unde hunc exsistere cognoverit nescimus). Ad hoc additur quod ille professor nobilissimo nomine "Cicerone" nominabatur : Rem veram referimus, non fabulam!

Exemplar videlicet misimus sine mora. Inde coptae sunt epistulae Latinae satis frequentes commutari non solum inter nos professores, sed etiam inter discipulos Palenses in lyceo "Barthou" versantes et discipulos Fodienses in lyceo "Lanza" versantes.

Nihil miri igitur quod anno MCMXXXIV exeunte discipuli Palenses investigationem in "M.A.S." edendam instituerunt qua condiscipulos Fodienses Latine interrogabant de eorum vita, studiis, urbe regioneque. Responsa Latina Fodienses remiserunt quae nuper in fasciculo X commentarioli "M.A.S." mense Maio huius anni MCMXXXV edita sunt.

Interea mense Ianuarii huius eiusdem anni Vincen-tius Cicerone nobis laetantibus nuntiavit discipulos suos iam Latino sermoni satis adsuefactos velle iter hoc anno facere usque ad nostram urbem et amicitiae Italgallicae foedus sollemniter in praesentia icere et nostra Lycea geminare in Latinitatis nomine. Scri-bebant et venturi erant cum professore Cicerone ipso duo collegae eius et ipse Lycei Fodiensis moderator et XVI discipuli.

Ad tantam festivitatem Latinam celebrandam, omnia et in Italia et in Gallia professores discipulique diligenter et febriliter paraverunt : nam Itali et licentiam a suo Rerum Scholasticarum Ministerio petierunt via quae dicitur hierarchica, et phonocasetas impresserunt et miserunt, quibus nos Gallos Latine salutarent et iam nonnulla de se et de studiis suis praedicerent ; in Gallia invicem et discipuli quaesi-ti et inventi sunt qui domi hospites Italos accipere vellent (immo cum essent multo copiosiores quam Itali venturi, multis polliceri debuimus eos posse aliquando ad prandium cenamve viatores alibi acceptos invitare cum hospitibus) et hymnum Latinum ad iucundum amicorum adventum celebrandum paraverunt et convivium Latinum indictum est modo Apiciano, et burgimagister ipse exoratus et persuasus est ut in Municipalis Curia vinum regionale "Jurançon" dictum, quo Henricus IV rex saeculo XVI iam gaudere solebat, obferretur Italis viatoribus cum crustulis.

Nec defuerunt discipuli qui, cum hac Latina amicitia inter gentes maxime incitarentur et laeta-rentur, directo telephonice amicos alienigenas trans fines vocarent, ut huius amicitiae Latinae primordia iam praegustarent.

Vae grapheocraticis tricis! Recte dicitur proverbiu[m] : portam itineri longissimam! Nam quamvis longum iter horarum XXXVI amplius Itali audacter suscepturi essent ad nos visendos, longior fuit profectio[n]is porta : pridie indicti eorum adventus, cum Galli omnes spe tripudiaremus, maestum telegramma a Fodiensi-

bus missum est : a Ministerio Publico vetabantur ve-nire : causam istius prohibitionis cognoscere vultis? Haec sola causa fuit res unius diei : nam Fodienses ita indixerant iter suum ut Pali permanerent inter diem XXV et diem XXX (multo mane) mensis Aprilis ; at Ministerium vetat haec itinera scholastica extra men-sem Aprilem protrahi ... Quid? (sic verisimiliter lectores mirantur!) Nonne licentia danda erat, cum iter esset usque ad diem XXX m. Aprilis? -Heu! viatores, quia Fodiae a Palo multum distant, domum reditu-ri erant solum Kalendis Maiis : propter hunc unum diem, licentia negata est extremo tempore, tam sero ut non restaret otium ad dies itineris leviter mutandos et anticipandos!

Gemunt et irascuntur professores et discipuli ; lugent et succensent Itali et Galli. Nihil tamen contra agi potest!

Haec spes videlicet nobis restat ut proximo anno hunc amicalem congressum ac Latinam geminationem ef-ficere possimus. Difficultates certe haud paucas pro-videmus : nam non eidem discipuli eisdem professoribus committentur, ideoque fere omnia, quae hoc anno impetravimus, frustra erunt atque a principio labores repetendi et sudores resudandi erunt! At Latinam fidem grapheocraticos montes sublevare posse perseveran-ter et audacter speramus.

Genovefa et Antoninus Immé.

## CHRISTIANUS HELFER . (sequitur)

Anno 1979o Lexicon Auxiliare componere coepi ut Latine loquentibus verba satis apta suppeditarentur qui-bus res novas tractare possent. Opera lexicographica mihi placent, quia index vocabulorum ratione peculia-ri speciem perfecti simul ac imperfecti praebet. Con-tinet enim omnes alphabeti litteras sed singula verba ad arbitrium inseruntur et necessario obsolescunt. Quibus condicionibus inter se contrariis lexicographi alliciuntur.

Quid hodie censes de Latinitate Viva? Tuo sensu, fe-citne nonnullos progressus ?

Latinitas viva a multis linguae Latinae magistris non iam repudiatur quamquam censem eam ad institutionem puerilem non esse idoneam. Quod ad usum scholarem attinet, assentior iis, qui putant nunc in gymnasiis Latinae linguae addiscendae minus temporis relictum esse quam colloquia Latina haberi possent.

## VERBORUM INTEXENDORUM SOLUTIO quae proposita sunt in numero 6

|           |  |
|-----------|--|
| DESIDERAS |  |
| IX M M IT |  |
| SCIPIO TU |  |
| CITERIA L |  |
| ITURI NAT |  |
| PARISIACI |  |
| URAT S T  |  |
| LA APTARI |  |
| IMBECILLA |  |

# Curae de Ordinanda Europa.

## UNIO EUROPAEA FEDERALISTARUM.

Ludis Latinis Augustanis forte convenimus Rainum dum Fleischmann, Bavaram, qui sedulo Dr. P. Caelensis Eichenseer scholas autemeridianas participabat. Nobis narravit se sodalem esse cuiusdam consociationis, cuius cura est: quomodo singularitates omnium Europaeorum gentium, etiam minimarum, servare in Europa necessario confoederanda. Ipse sodalis est partis Bavariae illius consociationis. Eum tunc rogavimus ut aliquid pro Melissa conscriberet de illa consociatione eisque propositis, id quod benigne et diligenter fecit:

Cum "MELISSAM" primum viderem - Augustae enim Vindelicum ludos Latinos clarissimos participavi et cottidie, sicut Dr. Gaius Licoppe, interfui coetibus antemeridianis ubi P. Caelestis Eichenseer introductionem in usum sermonis Latini faciebat - valde miratus gavisusque sum, quod Melissa non ad unam tantum nationem pertinet, sed est vere Europaea, ut iam ex titulo patet: "Europaea folia...". Cur hoc in medium profaram rogabitis. Complures causae existant. Primo quosdam philologos Germanos, auctoritate praeditos, novi, qui dicerent tot homines studiis humanitatis eruditos secundum bellum mundanum prohibere non potuisse et hac de causa post bellum studiis humanitatis latinitatis detrimentum non parvum allatum esse.

Tum facere non possum, quin iterum de Gaio Licoppe et Melissae numero sexto commemorem, cuius in prima pagina legitur: "Si nunc ad philologos Latinos spectamus, vidimus plerosque intra exiguum specialitatem manere, timentes ne quemquam offendant. De phtisi latinitatis publice dolent et crocodili lacrimas effuse profundunt, sed iis, qui morbum curare volunt, nullum afferunt auxilium, quin etiam eorum consiliis officiunt."

Maxime denique Melissae Europaea folia salutavi, quod iam ab adulescente de Europa confoederanda cogitabam et sodalis factus sum consociationis

-quae appellatur "Unio Europaea Foederalistarum" ( Union Européenne des Fédéralistes/Union Europäischer Föderalisten ),

-quae Lutetiae Parisiorum post secundum bellum mundanum anno MCMXLVI condita est,

-quae pro reconciliatione Europae gentium, pro Unione Europaea, pro futura civitate Europaea (aut, si ma-vultis, pro "Civitatibus Europaeis Coniunctis") omnes vires opesque devovet utens ad eum finem foederalismi fundamento (excusate, si id quod ea foederalismi notio significat vobis infra continuo explico),

-quae sedem Bruxellis in Unionis Europaeae aedibus habet et lustris praeteritis 11 partes vel societates complexa est: Austriacam (Europäische Födera-

listische Bewegung), Britannicam (European Movement) Danicam (Europaisk Samling Danemark), Francogallicam (Mouvement Fédéraliste Européen), Helveticam (Europa Union Schweiz), Hispanicam (Union des Fédéralistes Européens d'Espagne), Italicam (Movimento Federalista Europeo), Luxemburgicam (Union Europäischer Föderalisten Luxemburg), Nederlandicam (Europese Beweging in Nederland), Germanicam (Europa-Union Deutschland) et iuniorum consociationem (JEF = Jeunesses Européennes Fédéralistes/ Junge Europäische Föderalisten).

Earum partium iterum Germanica pars undecim regiones possidet (verbi gratia, regio Bavariae plus quam sex milia sodalium enumerat),

-in qua igitur omni civi administer et socius esse licet et in qua denique democratæ-sociales, liberales, christiani æque subsidia ad finem communem destinata contribuunt et omni modo salutem communem adiuvant.

Ac si nunc in exponendo foederalismo illo plura dicere videbor, ignoscitote; nam haec foederalismi imago vel informatio duo argumenta amplectitur: et foederalismum rei publicae et foederalismum civium vel societatis hominum.

Rei publicae foederalismus nobis hanc structuræ rationem exponit: Complures civitates (aut gentes) minores ad maiorem rem publicam formandam vel aedificandam coniunctae sunt non amittentes proprietatem suam (singularem naturam) neque per dentes iura officiaque ad bene vivendum necessaria (exempli gratia, res publica Helvetica ex partibus Francogallicis Italici Germanici constans).

Itaque, ratione adhibita, quae etiam subsidiaritatis ratio (Subsidiaritätsprinzip) appellatur, ei rei publicae novae et maiori nulla negatio administranda, nulla munera operaque perficienda, nulla imperia suscipienda sunt nisi ea, quae illae civitates veteres minoresque ipsae peragere non aut non satis possunt (verbi gratia, complures regiones vel civitates minores communiter parant, quae usui sunt ad defendendam omnium civium libertatem). Civitatibus minoribus porro autem facultas aut potestas obtainenda est, ut magistratus eam rem publicam maiorem gubernantes custodire possint. Ac haec vere divisio potestatis auctoritatisque iterum atque iterum probata est medium valens contra vitium potestate prave perverse sequentem.

Nunc ad civium sive societatis hominum foederalismum pergere possumus, qui, fundamentis iurum communium positis, singulorum hominum libertatem servare debet æque ac servatur consociationum facultas suo arbitrio agendi. Haec etiam foederalismi ratio omnes humanas actiones moresque mutare et novas societatum,

# PAGINA PHILOLOGORUM

## Iosephi Venturini Carmen.

Iosephus Venturini poeta Italus, cuius carmen Aurora consurgens inscriptum primum edendum curavimus idemque Melissae legentibus evolvendum proposuimus, anno 1914o in urbe Castro Bononiensi (Castel Bolognese) natus annoque 1931o Societatem Iesu est ingressus. Qui cum studia perfecisset annos circiter triginta adulescentes Graece Latine Italice erudivit. Interea autem et cum Camena se oblectavit et in litteris Neolatinis (quae dicuntur) multum diuque est versatus. Approbantibus enim atque applaudentibus Antonio Bacci cardinale ut ita dicam Ciceronianissimo (+ 1971o) et Victorio Genovesi vate (+ 1967o), Iosephi carmina auream Latinitatem redolentia in commentariis q.t. Latinitas magnam partem sunt divulgata ; de monumentis autem Neolatinis cum complures lucubratiunculas conscripsisset, bene est meritus ; nam, ne singulas afferram, de Famiani Stradae Prolusionibus Academicis et de Gaspare Tribarcho poeta Mutinensi fusius egit, atque de Pascolio Latino dissertationem controversiosam anno 1969o foras dedit. Novissimis vero commentationibus litterae Italicae a Iosepho Venturini nunc Florentino tractari sunt coptae.

Theodericus Sacré  
(Fundationis scientiis provehendis Belgicae soc. pr.)

### AURORA CONSURGENS

(Cant. VI, 9)

"Insano quidnam curarum turbine, Virgo,  
mortales agimus vastoque revolvimur aestu  
divitias inter fluxas fastumque superbum?  
Quid ruit in vitium nullo natura labore  
dum vorat hic flammis animos malesana cupidus,  
anxius hinc bellum populos timor opprimit omnes?  
Scilicet ense petens gentes urbesque potentes  
barbarus advenit Scyticis bellator ab oris.  
Mille ferox miseris populorum cladibus horret  
metiturque animo Hesperiam collesque Quirini  
improbis et spoliis iam nunc exsultat opimis,  
humani exitium generis. Iam diruta saevis  
Sauromatum manibus caelo mille oppida clamant  
templaque magna ruunt Patris disiecta Superni.  
Vela dabit semper Scytico fortuna tyranno?  
Eia age, rumpe moras dirosque repelle furores,  
ardua ne duro volvantur saecula ferro.  
Te pietas, te, Virgo, fides violata precantur:  
Ausoniae tuteris opes orbisque salutem!  
Hic curae, hic animus! Victricia tela ministra!  
Proteris invictas felici Marte catervas;  
agmina et Ismaricae fugient, te vindice, gentis  
silvarum capreis trepidisque simillima cervis".

Haec agitans animo, votis precibusque solutis,  
Virginis in pulchra defixus imagine ploro,  
doctis quae manibus mire depicta renidet.  
Comprimit illa caput pedibus metuenda columbi  
Aligerique canunt Sobolem de milibus unam,  
quam Pater Omnipotens legit Natoque parentem  
esse dedit, patrum a primaevi criminis furam.  
Interea nox alta silet: non ulla per aulas  
vox dudum resonat lautisque exercita mensis  
iam famulum procerumque cohors se condidit ultro  
mollibus in lectis et fractos recreat artus.  
"Insuper ecce phalanx Ebrei furialiter arma  
destringit diro superos perrumpere ferro  
decertatque sacris populum detrudere tectis.  
Denique nulla salus Christi cultoribus ultra,  
nulla quies: leto semper gravis imminent hostis!  
Ergo, Diva potens, primaevae nescia culpae,  
nequ quam miserata vices hominumque labores  
per Phatimae puerum Lusitanasque pueras  
laberis in terras Domini latura salutem?  
Ergo nequ quam roseas inducere plantas  
te iuvit dumis squalentia et antra subire,  
quo strepit illimis sinuoso tramite Gavus  
alloquioque pio agrestem docuisse pueram  
et nova caelestis dudum spiracula lymphae  
ostendisse viris hominum genus unde levamen  
et peteret morbis mortemque avertere posset?  
Ergo haec vel superis spectanda, haec incluta cuncto  
Christiadum generi rerum miracula, Virgo,  
paucorum ob rabiem vesanae mentis iniquam  
in caenum commota ruent impune cadentque?  
Posthac non liceat festis advolvier aris  
aut tua votivis cumulare altaria donis  
templaque claudentur sanctis iam pervia turmis  
neve dabunt caeli subvectae ad sidera turres  
aere sonum laeto populumque ad sacra vocabunt?  
Heu scelus! At Stygiis effusum haec aedibus agmen  
frustra conatur vulnus iactare cruentum  
credula blanditiis columbi quod detulit Heva!  
Nam tu, quae peragrans mortali corpore terram  
nullis aligeros maculis obnoxia praestas,  
arcebis facinus caenique piacula nostri  
unde lues scelerata viros, unde horrida mundum  
infecit tabes penitusque innecta medullis  
perfurit et miseros misere depascitur artus!"  
Talia perstabam memorans cum Virgo repente  
visa est, dulce caput rutilis redimita coronis,  
flaventes effusa comas, fulgere per umbras.

Contremuere domus; quin motis cornibus ara  
exsiluit, magno somuerunt templa fragore.  
Ludimur? an mens vana sibi praesagia fingit?  
Adfuit et sancto firmavit numine vota  
auguriis dictisque fides ne forte laboret.  
Scilicet invisam terris excindere gentem  
maturant superi bellique everttere molem.  
Sed iam pulchra dies perstrinxit lumine caelum  
noctis aves dulci rupere silentia cantu  
fulseruntque novae templi per vitrea luce.

Diffugiunt tenebrae lumenque aurora reducit  
cum memor advolitans eversum fama per orbem  
te, Regina potens, iterum sine labe salutat  
ut populi valeant optata pace potiri.

Ite procul, lites: nostras pax alma revisit  
terras gensque hominum, duris exercita fatis,  
munere moesta tuo dissolvat pectora curis  
atque novum condent Itali virtutibus orbem.

90. Namque domus propriae sedem decernis amoanam  
hactenus Italianam, praeclaris artibus auctam,  
quam non vernantes tenuerunt palmite colles  
Ziphiae, non patulis Libani iuga consita cedris,  
non Galilaea frequens populis Solymaeque virect  
Caelituum en turmae sacram - quid Nazara luges?  
aediculam per vasta ferunt plaudentibus alis  
aethera perque cavas nubes, dum concita ventis  
aequora nequiam reboant tellusque remugit.  
Cuncta silent subito fugiuntque per atra nimbi

100. et circum radiis collustrant sidera noctem.

Sicque minis pulsis, dirus quas iactat Avernus,  
hanc laeti superi excipiunt; hanc, candida Virgo,  
arces ne cursu properet praevertere ventos;  
hanc felix sidusque novum mirantur anheli  
lugentes populi et discunt confidere rebus.

Qua parte Italiae prospectant litora fluctus  
Ariacos, gaudente polo, terrasque Liburnas  
adsurgit clivus redolens ubi plurima laurus  
luxuriat frondesque virent in vertice semper:  
110. inde vocant ipsum Laureti nomine gentes.

Constitit hic tandem fatis pulcherrima sedes

ominis et tanti propere iam fama vagatur  
trans mare, trans Alpes gelidas Italasque per urbes  
Undique visendi studio nemus impedit altum  
turba frequens terras etiam quae liquit Hiberas  
quaeque bibit Tamesam, Rhenum lymphasque Garumnae.  
Saepe ipsi reges venerati limina sacra  
exsultant donis templumque attollere certant.  
Munere pro parvo grates persolvis opimas,  
Virgo, et cum turba hic variis aegroribus acta  
exposcit praesens rebus solamen in arctis  
- hic oculis capti affusa caligine et orti  
indociles fari vocesque expromere lingua,  
hic pedibus claudi, hic exesi membra dolore  
et maxie aut longo confecti pectora tabo -  
protinus experti divam venerabilis aulae  
virtutem sensere alacres in corpore vires.  
O quoties, Mater, sancto sub fornice tecti  
intonuit caeleste tuum laudabile nomen  
et visa es placido vultum componere risu  
florentesque Italos oculis spectare benignis  
mille faces inter claros et lumine lychnos!  
Quos tu, namque potes, magno tutamine, Virgo,  
serva et despiciens auratia pulchra columnis,  
ceu noctem exundat radiis rutilantibus astrum,  
divitias pacemque bonis donabis amicam  
effundesque novum decus et nova robora membris  
foetida ne perdant veteris molimina poenae,  
quae rapit in vetitum cunctos stimulisque suburget".

Excutior sonitu, referunt dum tinnula circum  
aera diem Dominae prisca sine crimine festum;  
adstare et videor tempus in penetralibus alti,  
concita quo Divae Matris pietate Quirini  
urbs alma occurrit septenis arcibus ultiro.  
Tum vero ingeminant plausus nomenque Mariæ  
tollitur ad pulchras radianti lumine sedes.  
Quo fremitu, tremor ossa vagus pallorque protervis  
occupat ora gelu certaque excussa ruina  
impia desperant aeternam saecula pacem.

#### NATALE SOLUM


Mens mea montivaga est: lumen de lumine quaerit,  
astræ pererrat, amans volitat super orbis amores,  
sed pacem reperit solvitque aenigmata tota  
collibus in celsis ubi primum exercuit alas.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis

#### Fons siccus

Ultimae guttae saliunt sonorae,  
deinde sub terra pereunt silenti:  
vita sic finit, moriente cantu,  
casta poetae.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensi



Ante nonnullas septimanas Lambertus PIGINI, praeses domus editoriae, cui index "EUROPEAN LANGUAGE INSTITUTE", iter Bruxellas fecit. Qua occasione data, MELISSA eum iucunde convenit et vobis coram interrogavit de periodicis libellisque Latinis, quos edendos curat.

Dominus Lambertus PIGINI, qui est sacerdos, totum se dedit iuvenibus educandis erudiendisque. Quare ante decem circiter annos in urbe Recanati, media in Italia sita, domum editoriam condidit ad opera didactica excogitanda et divulganda. Ante quattuor annos voluit etiam linguae Latinae docendae suis adumentis institutoriis favere. Tunc temporis, id est mense Augusto anni 1982i, eum primum conveni. Una enim intereramus Feriis Latinis in Carinthia (Austria). Ibi participibus exhibebat commentariolos periodicos, quibus titulus "Iuvenis", ineunte eodem anno creatos.

Anno 1983o Lambertus Pigini primo seminario Belgico, Vestendae habito, interfuit. Nemo participum eius oblitus est. Etsi eius sermo Latinus plerumque nimis Italicus audiebatur, maxime tamen placuerunt eius facundia perpetua atque hilaritas contagiosa. Eodem anno translationem Latinam celeberrimi Walt Disney operis "Donald Duck", a Iosepho MIR factam, in lucem edidit, cui titulus "Donaldus anas atque nox Saraceni".

Anno 1984o praeter "Iuvenis" fasciculos, alteros commentariolos menstruales, quibus titulus "Adulescens", divulgare coepit, iunioribus aptos.

Commentarioli, iisdem imaginibus illustrati, sub diversis indicibus, compluribus linguis eduntur: Anglice, Francogallice, Theodisce, Hispanice, Italiane, Hebraice necnon Arabice.

### PULLUS FARCILIS

quomodo haec Apiana compositio effici possit:

Pullum expeditum comparabis.

Ad fartum parandum colliges:

-350 gr pulpae caesae

- 3 cochlearia alicae, quam in 200 gr aquae elixabis

- parum piperis triti

- pauca ligustici folia caesa

-1 cochlear gingiberis(vel zingiberis vel zinziberis)

-1 porci cerebellum(circiter 350 gr) elixum

-1 ovum crudum

-1 cochlear liquaminis

-1 cochlear olivi

Quibus omnibus bene commixtis pullum implebis, quem in furno (circiter 200°) sesquihoram coques.

Gustate et gaudete

AELIANA.

Subnotatorum numerus est circiter decem milia in Italia, viginti milia ceteris in regionibus.

Complures libelli imaginum nubeculatarum nunc perfecti sunt et veneunt :

- "DONALDUS ANAS ATQUE NOX SARACENI", interprete P. Iosepho Mir,
- "MICHAEL MUSCULUS ET LAPIS SAPIENTIAE", interprete A. Carolo Egger,
- "DONALDUS ANAS ET ACTIONES FIDUCIAE", interprete P. Iosepho Mir,
- "SCRUGULUS ET RADIUS CONTRA PROCELLAM", interprete Vidone Angelino,
- "POPEIUS - SIVE DE CIRCI MYSTERIO", interprete A. Pacitti,
- "INSUPERABILIS SNUPIUS", interpretibus Vidone Angelino et P. Iosepho Mir.

Etiam mox edetur "IESUS NAZARENUS", interprete P. Iosepho Mir.

Nuper moderatores periodici Italici "LE OPERE E I GIORNI" scriptum divulgaverunt de Lamberti Pigini editionibus Latinis, sub titulo "Il Latino : Si !" Quo in scripto, inter alia legimus haec :

- In Foederatis Civitatibus Americae intra quinque superiores annos quintuplex factus est numerus scholiarum qui examina Latina (National Latin Examen) subeunt.

- Communitas Europaea oportet habeat linguam propriam. Quae tamen lingua? Theodisce loquuntur circiter 69 millones Europaeorum, Italice 57 millones, Franco-gallice 58 millones, Anglice 58 millones. Neque linguae Theodiscae neque Italicae ulla spes videtur fore quae eligatur. Magna sed vana conamina faciunt Francogalli, ut eorum lingua in usum communem Europaeorum veniat, nitentes in eius pristina praestantia. Augetur in dies usus linguae Anglicae, sed tantum quia est Foederatarum Civitatum Americae instrumentum unicum communicationis. Americani praepollentes, suam lingua ceteris volentibus nolentibus imponunt, ut solet similibus in condicionibus. Unde Europaeis oritur magnum, difficile etiam vitale problema, quod tantum usu communi linguae Latinae expediri potest.

Antonius Burgess, notus Anglus scriptor, cum in conventu Venetiis nuper habito acroasin habebat de "Identitate culturali Europae", autumavit Europam ad Latinum redire debere patens omnibus neologismis atque necessarium esse linguam Latinam ut linguam vivam in scholis discere. Antonius Burgess repetere solet "Medii Aevi monacos Europam salvam conservavisse propter ea quod eam ad cultum civilem et linguam Latinam reduxerunt. Idem hodie nobis faciendum est".

Linguam Latinam docentibus maximo honori sit novam Europaeam aetatem praeparare!



**ITALIA - ELI - EUROPEAN LANGUAGE INSTITUTE 1984, P.O. Box 6, 62019 Recanati. Tel. 071/976465-976466. Telex 560322**

**FRANCE - publié par MLI - 54 Rue de Bourgogne F - 75007 Paris. Tel. 705.03.99.**

**GREAT BRITAIN - CHAMBERS LTD. PUBLISHERS - 43-45 Annandale Street, Edinburgh EH7 4AZ. Tel. (031) 557-4571**

**U.S.A. - MIDWEST EUROPEAN PUBLICATIONS, INC., 915 Foster St., Evanston, IL 60201 - Tel. (312) 8666262 - Telex 256262**

**ESPAÑA - PERIODICOS EDITORIAL CLARET, S.A. - Roger de Lluria, 5 - Barcelona 10. - Tel. 3010887**

**BELGIQUE - DIANE LICOPPE, Avenue de Tervueren, 76 - 1040 Bruxelles**

**SUISSE - ALKA DIFFUSION - Chemin du Boisy 49 A - CH-1004 Lausanne - Tél. 021/363720 - Tx. 25749.**

**SINGAPORE - CAESAR CUPIDO, 1 Bonham Street, #21-02, UOB Building - Singapore 0104 - Tel. 918244 (2 lines) / 5335677.**

**môme**

FOLIE VIOLETTA  
MICHAEL MUSCULONI



ERSTE LEHRSTUFE IN FRANZÖSISCH  
PREMIER DEGRÉ EN FRANÇAIS  
PRIMO LIVELLO IN FRANCESCA

**teen**



Dritte Lehrstufe in Englisch  
Troisième degré en Anglais  
Terzo livello in Inglese

**muchacho**



ALLGEMEINE LEHRSTUFE IN SPANISCH  
DÉGRÉ UNIQUE EN ESPAGNOL  
LIVELLO UNICO IN SPAGNOLO

**Kinder**



ERSTE LEHRSTUFE IN DEUTSCH  
PREMIER DEGRÉ EN ALLEMAND  
PRIMO LIVELLO IN TEDESCO

ZWEITE LEHRSTUFE IN DEUTSCH  
DEUXIÈME DEGRÉ EN ALLEMAND  
SECONDO LIVELLO IN TEDESCO

**freunde**




ALLGEMEINE LEHRSTUFE IN ITALIENISCH  
DÉGRÉ UNIQUE EN ITALIEN  
PRIMO LIVELLO IN ITALIANO

**ragazzi**



ERSTE LEHRSTUFE IN LATÉIN  
PREMIER DEGRÉ EN LATIN  
PRIMO LIVELLO IN LATINO

**ADULÉSCENS**



ZWEITE LEHRSTUFE IN LATÉIN  
DEUXIÈME DEGRÉ EN LATIN  
SECONDO LIVELLO IN LATINO

**tot**



ERSTE LEHRSTUFE IN ENGLISCH  
PREMIER DEGRÉ EN ANGLAIS  
PRIMO LIVELLO IN INGLESE

**kid**



ZWEITE LEHRSTUFE IN ENGLISCH  
DEUXIÈME DEGRÉ EN ANGLAIS  
SECONDO LIVELLO IN INGLESE

**jeunes**



LEHRSTUFE IN FRANZÖSISCH  
DÉGRÉ EN FRANÇAIS  
LIVELLO IN FRANCESCA

**IUVENIS**



ZWEITE LEHRSTUFE IN LATÉIN  
DEUXIÈME DEGRÉ EN LATIN  
SECONDO LIVELLO IN LATINO

## I

Gratias agimus maximas omnibus amicis et propinquis, qui se praebentes participes maerioris ac socios luctus nobis auxilio venerunt gravissimam cladem viri mei et patris nostri

Jan Novák

compositore musicae bohemici

patientibus.

Elissa, Dora et Clara Novak

Novis Ulmis, mense Novembri a. d. MCMLXXXIV

## II.

Noster optimus sodalis Luxemburgensis Aemilius SIMON ad nos misit hunc textum Latinum, quem in maximo Luxemburgensi diario edendum curavit:

LA VOIX DU LUXEMBOURG

**Luxemburger Wort**

DIENSTAG, DEN 16 APRIL 1985  
JAHRGANG 138 - NUMMER 88

**Cursus Latini Finis**

Ante ferias paschales cursus linguae Latinae finem habuit. Ille cursus vespertinus singulis hebdomadibus per tres annos in urbe Luxemburgensi factus est

Id agebatur partim ut «veteres cultores» linguae Latinae scientiam sumam ex parte oblitam renovare possent, partim ut novi Ciceronem linguae amici eam dissereret et ea ute- rentur. Ardentissimi studio omnes discipuli discipulaque, iuvenes atque minus iuvenes, attentissime schola optimis et utilissimis profesoribus Dominae Marianne TERNES interfuerunt.

Maxime cum ardore et amore, dixit in oratione sua Domus. Aemilius Simon, unus ex discipulis, «Tu, artis peritissima, non solum difficil-

tates innumerabiles linguae Latinae nobis optime explicavisti, sed etiam ejus pulchritudinem multis exemplis scriptorum antiquorum nos docuisti.

Scilicet orator non oblitus est professori egregiae multas gratias agere pro scholis ejus pulcherrimis quarum memoriam nulla unquam obliuio defeleret.

Donis ultra citroque datis et acceptis et photographica cum cursus participibus eorumque professore facta, ultima sessio confecta erat.

Illi cursus profecto occasione unicum Romanorum lingue discendae dedit. Fortasse posterioribus temporibus altera similis occasio non offeretur... E.S.

Optima sodalis nostra Luxemburgensis, Elisabetha THOSS nobis benigne convenit interrogavitque Mariam Annam TERNES, quae linguam Latinam in Lyceo Luxemburgensi "Robert Schuman" docet, ubi discipulos incitavit ad libellum Latinum conficiendum. Cuius exemplar infra monstramus:

**EXPLORATOR**

Liberitas Gymnasii R. Schuman  
anno Domini MCMLXXXIV



| Chronicalia diversa    |                         |
|------------------------|-------------------------|
| De rebus politicis     | De rebus ecclesiasticis |
|                        |                         |
| In vita Itinerariumque |                         |

Luxemburgi, cum liceret adultis fere omnia scholis vespertinis discere, e.g. linguam Iaponicam vel Arabicam, duae consociationes, cui nomen "Société des Antiquités Nationales" et "Pro Latinitate", curaverunt ut iisdem condicionibus etiam lingua Latina doceri possit. Maria Anna TERNES annuit se has scholas habituram esse, id quod tribus superioribus annis unaquaque septimana per binas horas fecit, gaudentibus circiter vigenti participibus.

In superiore MELISSAE numero rettulimus Doctorem Théodoricum KRUGER similes scholas Latinas vespertinas etiam habere Hannoverae. Quae incepta nobis videntur esse perutilia et multiplicanda.

## III.

Ex Polonia litteras accepimus a Benno TISSLER missas, e quibus excerptimus haec:

Nunc pauca de me ipso dicam. Vir iam septuagenarius sum, Dantisci vel Gedani /Germanice - Danzig, Polone - Gdańsk/ natus, munere magistri in lyceis - in scholis mediis - per multos annos fungoar, linguarum Graecarum et Latinarum cultor, - hodie emeritus, qui vitam valde mediocrem in hac "lacrimarum valle" agit.

Honoratissime Domine, in epistula tua rogasti me, ut aliquid de statu necnon de ratione linguae Latinae in scholis nostris docendae scriberem. Ad quam quaestionem breviter refero: status est miserrimus et dolendus. Ceterum id non solum ad linguam Latinam pertinet, sed etiam ad ceteras linguis recentiores nempe Anglicam, Gallicam, Germanicam. Schola finita, discipuli, per paucis exceptis, nullo modo supra dictis linguis possunt colloqui. Unica exceptio est sermo Russicus, quia linguae Polonae similis est et propterea multo facilior ad discendum. Quae lingua iam in scholis elementaris ter aut quater in hedone docetur. Ceterum in scholis Poloniae mediis linguae, quae dicuntur extraneae negleguntur, dum imprimis lingua Polona, mathematica, physica, biologia, chemia sunt artes magni momenti.

Nunc tibi omnia bona fausta que, praecepit optimam valetudinem, ex animo sincere opto. Vale!

Benno Tissler

Mronoviae, die 26-a Martii 1985.

Hoc testimonio iterum comprobatur Europam divisa esse in duas partes, quorum in altera lingua Americanorum, in altera lingua Russorum a puero docetur. Haec est Europae profligatae servitudo, etiam si una percipitur ut levior quam altera.

## IV.

**BIOGRAPHIA VLADIMIR GHICA  
(1873-1954)**

Ex novissimis foliis partim Latine scriptis, quae circummittere solet Dionysius Lepoutre, curatus in vico Dury ad Ambianum (v. Amiens), excerptimus hanc partem:

Natus est Valdimirus, natione Dacoromanus, Constantinopoli; nam pater eius erat apud Sublimem Portam legatus Dacoromanus. Studia scholastica egit Parisiis, deinde Romae ubi necessitudinem coniunxit cum illis dominicanis qui, Leone XIII et Pio X pontificibus, resurgentiam thomismi formarunt. Anno 1902, in

(sequitur p. 12)

## SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

-BOTTRUPII [Bottrop], in urbe Rhenaniae Vestfalicae. Quod seminarium moderabitur P.DrCaelestis Eichenseer per duas septimanas, a die 21/7 in diem 3/8 1985.

De quo interrogandus est: Rochus Habitzky

Albertus Magnus Strasse 7  
D-4100 Duisburg 25-Huckingebr  
Tel. (0203) 78 14 30

-SELESTADII in Alsatia. Hoc seminarium eodem tempore ac Bottropiense habebitur, id est a 21/7 in 27/7/85; quare eius moderatores erunt Prof: Andreas Fritsch et Nicolaus Gross. De quo epistulae interrogatoriae mittantur ad sedem Vociis Latinae:

Vox Latina Universität-FR 6.3  
D-6600 Saarbrücken 11

-VESTENDAE in Belgica (cfr. notulam infra)

-HELVETICUM seminarium nunc primum habebitur in loco Morschach; quod moderabitur P.DrCaelestis Eichenseer a 29/9 in 5/10/1985. De quo interrogandi sunt:

|                   |                          |
|-------------------|--------------------------|
| Erika Roth        | Martinus Meier           |
| Aeschistr. 6      | Nassegasse 14            |
| CH-3110 Münsingen | CH-3302 Moosseedorf (BE) |

Tel. 031/920823

## TERTII SEMINARIUM VESTENDENSE

habebitur iisdem in aedibus "Zon en Zee" a die 17° in diem 24um m. Augusti a° 1985°.

Dr.P.Caelestis EICHENSEER sua solita methodo iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum. Cum participes ex multis regionibus convenire solent, facile percipitur quantum valeat lingua Latina ad commercium inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Invitantur universitatum alumni vel etiam scholarum discipuli, qui per nonnullos annos linguae Latinae descendae iam studuerunt.

Invitantur magistri magistraeque linguam Latinam docentes. Facile Latine loqui addiscunt, id quod plerisque maximo gaudio et utilitati est. Ceteris sunt optimum exemplum.

Invitantur etiam omnes qui linguam Latinam colunt et censeant illam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Inter colloquiorum Latinorum exercitationes et verborum recentiorum explicationes, participibus licebit frui litoris amoenitate et ludicris actuositatibus, quae in ipsis aedibus proponuntur, ut taeniludus, natatio(sub tecto vel sub divo)...

Notandum est aedes "Zon en Zee" aptas esse ad familiias per ferias accipientias. Quare participes sine molestia familiam secum adducere possunt. Familiae pars, quae sessiones Latinas non participat, ludicra vel athletica otiose exercere potest.

Excursio unius diei fiet ad Ypram et Dammam invisen-dam, Paulo Elsen mystagogi Latine ducente.

Pro hospitio, alimonio usque ludorum athleticorum solvendi erunt 800 Fr.B. cottidie. Pro institutione 120 D.M. mittendae erunt ad VOCEM LATINAM.

## FERIAE LATINAЕ



### PERIANA LATINAЕ IN SEDE "SOPHIA ANTIPOLIS"

-SOPHIAE ANTIPOLI (Antibes) in Francogallia a 2/7 ad 9/7/85, de quo scribendum ad M.C. Desessard Résidence des Collines, C.9 rue Léo Brun F-06210 Mandelieu

### PERIAE LATINAЕ IN DOMO INSTITUTIONIS "SODALITAS" TINJIS

16. - 26. Julii 1985

kat. dom prosvete Sodalitas  
A - 9121 TAINACH / TINJE  
Carinthia, Austria. Tel.: (0.42.39) 26.42

### PERIAE LATINAЕ IN ABBATIA S.ORD.CIST. STIČNA

4. - 11. Augusti 1985

Cistercijanska opatija Stična  
YU - 61 295 IVANČNA GORICA  
Slovenija, Jugoslavija. Tel.: (0.61) 783.10

### PERIAE LATINAЕ IN DOMO ORATIONIS GETSEMANI SYRACUSIS

22. - 31. Augusti 1985

Casa di preghiera GETSEMANI  
Suore della Misericordia e della Croce  
Via Serradifalco, 1  
I - 96 100 SIRACUSA  
Sicilia, Italia. Tel.: (0.931) 5.44.44

De quibus Feriis epistulae interrogatoriae mittantur ad Professorem Suitbertum H. SIEDL O.C.D.

Gyllenstorm-str. 8 // A-5026 Salzburg-Aigen (Austria)

## NIHIL AGERE VEL TEMPUS TERERE

Feriis nostris Latinis jucundissimo certe fruemur otio quo tamen non abutemur ad nihil agendum, sed quo sedulo utamur ad studiose fructuoseque laborandum. Est enim in nostro programate magna varietas rerum quibus nos omnes actuose participemus oportet.

\* imprimis unusquisque brevem (saltem unius pagellae) sermonem Latinum jam domi paraverit quo seipsum apud ceteros introducat; quando, quo loco, qua natione sit natus, quæ studia perfecerit, quo munere vel officio nunc fungatur, tandem in fine quomodo de Feriis Latinis audiverit; quae omnia facili et perspicua Latinitate - omni "errorum" metu posthabita - unusquisque vestrum nobis omnibus narrabit;

rerum oeconomicarum, humani cultus structuras creare vult. Nam principia eius rationis sunt semper et mores sociales benevolique (solidarité) adversus varios consociationum institutorumque gradus efficiendi et libertas, qua hominis progressus effici possunt et eius facultates augentur auxilio quoque omnium societatum in quibus vivit allato.

Plura de iis rebus scribere possem, sed nunc, cum foederalismi "primam lectionem" legeritis et bene concoxeritis - spero me eas res aliquo modo satis dilucide apteque ad vescendum paravisse - ad Unionem Europaeam Foederalistarum revertor, quia in extremo retinere volo eam consociationem ipsam omnes consociationes congregationsque Europaeas aut pro Unione Europa sententiam ferentes strenue adiuvare. Quibus ex omnibus causis positionibusque iamdudum amicis inclamare soleo: "Ceterum censeo Europa (Unione Europea) crescente neque linguam communem possidente et tot gymnasiis Europaeis Latine docentibus CONSOCIATIONEM LATINITATIS EUROPAEAM (CLE) nunc maxime necessariam esse!"

Valete, lectores honorabiles, et nos litteris certiores facite quid de hoc censeatis, quod si vobis operae pretium esse videtur!

Raimundus Fleischmann  
Simbacensis (BAVARIA)

## BIOGRAPHIA VLADIMIR GHICA. (sequitur)

basilica Sanctae Sabinae, Romae, fidem catholicam est professus. Deinde theologiae operam dedit in "ANGELICUM" universitate dominicana et doctoratum, anno 1906, adeptus est.

Patriam reversus, apostolatum viri laici exercuit inter pauperes urbis Bucarestiorum, sed, bello universalis saeviente, in Italiam reversus, deinde in Franciam, anno 1923, sacerdos est ordinatus, Parisiensis, sub titulo dioeceseos Bucarestiensis, cum licentia utriusque ritus, vel Latini, vel Daci.

Domicilium obtinuit apud benedictinos Parisienses (3, rue de la Source), sedem confessionum in ecclesia extraneorum (rue de Sèvres). Hospitium instituit, in suburbio Parisiensi nomine Villejuif, ad scrutarios et vagos evangelizandos, gubernio publico tecta praebente.

Otia quoque sibi servavit scribendi libros spirituales, ut "La Présence de Dieu" et "La Souffrance".


Miseris patriae suae tractus eamque reversus, cum haec facta est, anno circiter 1947, "democratia popularis", apprehensus est et, ut fama est, varie cruciatus, in carcere Bucarestensi defunctus est, die 16 mensis Maii, anno 1954.

Dionysius LEPOUTRE.

## QUAE A FUNDATIONE MELISSA PETI POSSINT


### MELISSAE EMISSIONES LATINAE

Prima phonocasetta unius horae perfecta est.  
Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis. Pars etiam dedita est textibus classicis.  
Premium phonocasetae est 250 Fr. B., inclusis sumptibus cursualibus.



Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici.  
Premium est 120 Fr. B. inclusis sumptibus cursualibus.

*Rudentia*



RUDENTIS operis cinematographicci omne genus videocasetarum peti potest.  
Litteras interrogatorias ad Melissam mittantur.



LATINE LOQUI ❤

Hoc adhaerenti pittacio significare poteris te Latinitatis Vivae cultorem esse. Unus venit 50 Fr. B. - Tres veneunt 100 Fr. B.

Pecunia solvenda mittatur ad computum mandatorum cursualium Bruxellensem (C.C.P. Bruxelles), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.